

Störve

Dissertatio

Diss. jur. civ.

367,2







Q. D. B. P.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

IVRE THEMATVM  
GENETHLIACORVM

De

Recht der Nativitäten,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, JVLIIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE, ET RELIQA

CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE

SVB PRAESIDIO

DN. FRIDERICI GOTTLIEB STRUVII

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORIS CVRIAE PROVINC. SAXON.  
ADVOCATI ORDIN.

DOMINI PATRONI AC PRAECEPTORIS SVI OMNI OBSERVANTIAE

CVLTV PROSEQVENDI

IN ILLVSTRI ACADEMIA IENENSI

MDCCXVI. D. X. OCT. HORIS ANTEMERIDIANIS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

ANTON. VLDARICVS Blum,

BRVNSVIC. MATH. ET LL. STVD.

Diss. jur. civ.

367,2

JENÆ, WERTHERIANIS TTPIS.



D. B. N. 6  
DISSEMINATIO ACADEMICA

DE  
VIRE THERMATA  
GENERALIACORVM

DE  
VIRE THERMATA

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO  
FRANCISCO W. D. M. P.

DR. GUILIELMO HENRICO

DUCE SAZONARE, VIACI, CIVITATE MONTIVM,

CONSENSU VNIUSVRSVS ACADEMIAE

DR. FREDERICI GOTTLIEB STRUVE

DOMINI PATRONI DE KANONIKATU SVA GAVI ORGANISMA

IN LITTE  
CIT. DE PROSE  
HENRISI

ANTONI VLDARICVS

DE VIRE THERMATA





C. D.

Thes. I.



dera non tantum in res sublunares inanimatas in regno vegetabili ac mineralium, sed etiam in regno animali rerum animatarum, ac præcipue in corpora hominum, suos habere influxus, antiqua æque ac verissima res est. Id quod partim quotidiana ægrotorum symptomata, ex varietate cœlestis tempe-

*Influxus  
siderum  
defenditur*

statis variantia e.g. in febricitantibus ac Lunaticis declarant; partim diversissimi hominum affectus & motus animales ex inclinatione siderum dependentes, abunde satis testantur. Eleganter hoc ipsum ex Ptolomæi *Quadripartito* notat Vosius de *Idololatr. Gent. L. II. Cap. 47.* ubi ita loquitur. *Cernimus enim motu solis anni tempora distingui, unaque cum eis corpora nostra immutari. Et quid attinet de annuis conversionibus dicere? cum quotidianas conversiones illis annuis consimiles esse, in nobis immutandis animadvertamus? Sol enim oriens & aerem ad veris temperiem redigens, talem etiam corporibus nostris qualitatem insinuat, & die progrediente, videre est, universalia temperamenta in particularibus contineri.*

A

tin-



*singis influxus, nobis etiam occultus sensus rationis iudicio est in-*  
*dagandus.* Quanquam enim adversus hunc siderum influ-  
 xum potissimum soleat objici, quod juxta observationes  
 Astronomicas constitutum habeatur, Planetas, à quibus ta-  
 lis influxus maximè derivatur, esse corpora opaca, telluri  
 nostræ similia; Nihil tamen obstat, quo minus materiæ cu-  
 jusdam subtilioris effluxus in hæc inferiora nostra propage-  
 tur. Uti enim quotidie deprehendimus, vapores ex no-  
 stra terra exurgere, & ad magnam usque ætheris plagam  
 ascendere, qui licet graviores sint ob admixtum humorem,  
 nihilominus tamen propter suam subtilitatem in tantam e-  
 levantur altitudinem ut oculis sæpe nostris eripiantur.  
 Quod si ergo ex corpore nostræ telluris terrestri tanta vi,  
 tantaque efficacia vapores exire possunt, qui diversas in  
 aere ac sphaera superiori mutationes operantur; Quidni  
 etiam corpora siderum astra possent exhalare effluvia,  
 licet modum sæpe ignoremus, quæ in sphaera nostra infe-  
 riori simili modo motus quosdam & effectus possint produ-  
 cere; Siquidem in connexa illa elementorum compage,  
 ob contactum illum superioris & inferioris harmonicum,  
 talem quasi perpetuam rerum naturalium ac humanarum  
 circulationem, non absurde liceat concipere. Conf. Joh.  
 Jonston *Thaumograph. natur. cap. 3. seqq.* Ex hoc proinde  
 aere, per continuos cœli influxus temperato, cum viva-  
 mus & quotidie ducamus spiritum, non possunt non inde  
 varii motus in corpore humano contingere, prout particu-  
 læ tales æriæ se insinuantes variè corpus afficiunt, & pro  
 diversa sanguinis atque machinæ structura suas operatio-  
 nes naturales producunt. Add. Clariss. Dn. Buddeus in  
*Philosoph. Theoret. Tom. II. Part. 3. cap. 3.* Ut hinc motus  
 isti corporei sæpius ad mentem transeant, & inde  
 quodammodo in actiones hominum morales influant.  
 Quod tamen juxta optimum monitum Joh. ab Indagine  
 in *Introd. apotelesmar. cap. de Astrol. p. 125.* intellectum volo,  
 qui *l. cit.* ait. *Primum omnium moneo, nihil urgere in nos astra,*  
sed



sed jam proclives trahere, qui sic tamen liberi sunt, ut si ducem sequantur rationem, nihil efficiant; sin vero naturam, id agere, quod in brutis fere. Confer Petr. Molinæus *Phys.* lib. II. cap. 15. Atque huc ex JCtis etiam concludit Baldus in cap. ut debiti col. 2. X de Appellat. ubi ait: Ingenia hominum deteriora vel meliora evadere, sc. ex bona vel mala æeris dispositione, quem haurit & excipit tenellum hominis corpus, quam primum scilicet in lucem est editus. Conf. Hermes Trismegist. L. II. de revolution. Nativit. Th. II.

Ex hoc ipso proinde siderum in res sublunares influ-  
 xu descendit consueta illa ex Astris prædictio, quæ alias  
*Astrologia Judiciaria* vocatur; Et certo respectu ad partes Phy-  
 sicæ, ratione scilicet virium naturalium in corpora huma-  
 na; certo etiam respectu ad partem Astronomiæ referri  
 potest, quatenus nimirum constellationem, motum side-  
 rum & calculationem contemplatur, prout deducit Vos-  
 sius de natur. art L. III. c. 38. Est autem ex Astris duplex  
 prædictio, una circa tempestates, altera circa natales & vitam  
 hominum. Cum enim ex dictis præcedentibus constet, cor-  
 pus hominum vim atque efficaciam siderum, præsertim  
 Planetarum experiri; jam vero animi propensiones utcun-  
 que à corporis constitutione dependeant, facile evincitur,  
 illam corporis mutationem etiam ad animum simul pene-  
 trare, propter arctissimum vinculum, quod inter operatio-  
 nes mentis & spiritus corporis animales intercedit. Reli-  
 qua vero hominum vita, circa honores, divitias, & inde  
 descendente sæpe fortunam, maxima ex parte in moribus  
 hominum, & naturali ad agendum aptitudine fundatur,  
 ut hinc per consequentiam quandam naturalem etiam ex  
 sidereo quodam prognostico dijudicari possint. Addatur  
 Joh. Kepleri *Harmonic. Mundi Lib. IV. Cap. XII. p. 158. & 168.*  
*seqq. et Lib. V. per tot.*

## Th. III.

Nos Proinde missa priori Astrologiæ Judiciariæ specie,  
 quæ de Tempestatibus agit; Posteriores tantum, quæ ad  
 natales, & vitam hominum spectant, tractabimus.

*Astrologia  
 Judiciaria  
 species.*

*Originalis  
 species  
 ad vitam  
 spectans.*

*Transitio  
 ad Tracta-  
 tionem.*



natales, ingenium & fortunas hominum refertur, considerabimus, ita, ut per modum dissertationis Academicæ breviter disquiramus, quid in foro potissimum civili Ictorum de istis prædictionibus Astrologicis hodiernum adhuc, notatu dignum, occurrat.

Th. IV.

*Thema  
Genethliacum,*

Objectum ergo Operationis hujus artis Astrologicæ scientificum est illud, quod vocamus *Thema Genethliacum*, vulgo eine Nativität. Cujus usum neque veteribus Romanis fuisse incognitum, eleganter declarat Seneca in *Sua-  
sor. IV.* ubi ait: *Qui in media se, ut prædicant, fatorum misere pignora, natales inquirunt, & prima mediolorum annorum habent initia, quo ierint motu sidera, in quas discurrerint partes, contrave Deus steterit, an placidus affulserit SOL: an plenam lucem, an initia surgentis acceperint; an abdiderit in noctem obscurum caput LUNA: SATURNUS nascentem, an ad bella MARS militem, an negotiosum in questus MERCURIUS exceperit: an blanda annuerit nascenti VENUS, an ex humili in sublime JUPITER tulerit. Existimant tot circa unum caput tumultuantes Deos, Futura nuntiant.*

Th. V.

*Originatio  
vocabulo-  
rum Ru-  
brica.*

Est vero nostrum Rubricæ vocabulum compositum, & utrumque græcæ originationis; *Thema* enim dicitur à verbo τίθημι seu ponere, quod Astrologus positionem, & situm stellarum, perquirendo judicet; *Genethliacum* vero à γένεσις sive nasci, quod scilicet γένεσις sive natales hominum respiciat. Tulden. in *Comment. Cod. tit. de Malef. & Mathem. n. 3.* Idemque expressis verbis asserit Augustinus de *natura Demonum*, allegatus in *Cans. aus. XXVI. Quest. 3. 4.* ibi: *Astrologi dicti eo, quod in Astris augurantur, Genethliaci appellati sunt, propter natalitiorum considerationes dierum. Geneses enim hominum per duodecim cæli signa describunt, siderumque cursu, nascentium mores, actus & eventus prædicere conantur; id est, quis quali signo fuerit natus, aut quem eventum habeat vite, qui nascitur. Hi sunt, qui vulgo mathematici vocantur,*  
cujus



eius superstitionis genus, constellationes Latini vocant, id est notations siderum, quomodo se habeant, cum quisque nascitur.

Th. VI.

Describimus vero Thema Genethliacum quod sit: **Judicium** Descriptio  
 aliquod Astrologicum, ubi juxta certas regulas constellationum, cir- Thematis  
 ca horam nativitatis comparentium, quis de hominis nati affectibus, Genethli-  
 vita & fortuna conjicit. Tulden ad Tit. Cod. de Malef. & Ma- aci.  
 them. n. 3. Ad tempus ergo nativitatis hoc judicium refe-  
 rimus. Cum enim tempus conceptionis accuratè neque à  
 priori, neque à posteriori, sciri possit; frustra quoque A-  
 strologus in hoc conceptionis momento judicium suum  
 fundat. Quod enim à posteriori & à tempore nativita-  
 tis se velit ad tempus conceptionis correferre, est res sa-  
 ne incertissima, cum ob varias causas maturitas partus or-  
 dinarium nativitatis tempus possit vel anticipare vel re-  
 tardare; Uti bene adverterunt Jcti, dum partum non  
 tantum initio septimi mensis pro legitimo agnoscunt, jux-  
 ta doctrinam Hippocratis in L. septimo mense 12. ff. de Stat.  
 bom. Sed etiam tempus nativitatis legitimæ usque ad ini-  
 tium undecimi mensis prorogatum volunt, arg. Nov. 39.  
 cap. 2. Paul. Zach. Quest. Medic. legal. Lib. I. Tit. 2. quest. 1.  
 sqq. B. Struv. Syntagm. Civ. Exerc. III. th. 4. Et hinc recte et-  
 iam, quoad placita fori civilis, tempus nativitatis saltem  
 ab Astrologo natalium interprete, spectandum erit; de  
 hoc enim cum certiorari possit, ideo ad ejus indicium re-  
 ferri debet. Atque hinc est, quod Ulpianus asserit in l. 3.  
 §. 3. ff. de Minor. in probanda ætate & restitutione inde  
 impetranda, computationem naturalem spectandam esse,  
 ita, ut ipsa hora, qua quis est natus, spectetur, & tempus  
 de momento in momentum computari debeat. Add. l.  
 98. ff. d. V. S. B. Struv. Syntagm. Civil. Exerc. VIII. th. 42.

Th. VII.

At vero maximè nobis adversatur; Quod in singula Objectio  
 momenta temporis constellatio cœli varietur, & tam ac- diluitur.  
 curate punctum nativitatis observari non soleat, nec non



quod ob diversitatem horologiorum, hora & minutum, quod cursui Astrali correspondeat, certum & accuratum determinari non facile possit. Verum respondetur: Nos non negamus, totam hanc rem maxima ex parte in conjecturis consistere, neque dari apodicticam prædictionum Astrologicarum demonstrationem; Facile porro largimur, phænomena cœli in momentum fere faciem cœlestis plagæ variantia, varias etiam facere aëris mixturas, At vero ex hoc argumento influxus non negatur, nec inde dependens iudicium Astrologicum enervatur; sed id tantum evincitur, quod ita detur infinita temperamentorum mixtura, cum ita particulæ aëriæ, per continuum motum cœli agitatae, se tam variè in corpus humanum infinent, & ita innumeras ingeniorum atque affectuum species ac temperaturas producat. Atque ideo talis variatio cœli influxum siderum non tollit, sed tantum miscet. Neque etiam singulis momentis ita constellatio cœli variatur, ut novus penitus Planeta ex horizonte nostro divergat. Certè unus erit in nostro hæmisphærio stans, uti dicunt Astrologi, ac prædominans, ex quo etiam semper unum in homine temperamentum prædominans censetur, Ut hinc ex vitali illo spiritu atque aura optime temperamentorum originem atque diversitatem deducere liceat. Negamus enim, tantum ex luce siderum influxum fieri, sed ex motu aëris, qui motus per sidera vel ascendentia vel stantia in linea verticali, vel divergentia causari potest, quanquam facile credendum, pressionem aëris, per effluvia siderea foecundati, esse fortiorem à sidere stante quam declinante; Ut hinc quoque in iudicio Astrologico horæ nativitatis antilucanæ, meridianæ & post meridianæ ac vespertinæ omninò advertendæ sint, quanquam in singulas horæ quadrantes, aut minuta variatio illa siderum non multum attendi possit in pondere ac æquilibrio temperamentorum; Ut hinc ita concludendum sit, *accuratius* quidem iudicium ex puncto nativitatis observa-

serva-



servato colligi posse; Non tamen ex hoc omne iudicium denegari, cum à particulari ad universale non valeat consequentia.

Th. VIII.

Solidam proinde rationem hujus influxus, & subsequenter astrorum motus & operationis in homine, indeque descendens iudicii genethliaci ex Peucero de Divinat. p. 34. refert Crusius de Indic. Delictor. P. I. Cap. 25. sequentibus verbis: *Tenera corpuscula ex alvo materno procedunt, & circumfusum aërem cœli viribus imbutum induentia, atque anhelitu sorbentia, simul quantitates à stellis profectas haurire, has rursus & in totum diffundi corpus, & humoribus permisceri, & precipuorum membrorum constitutioni imprimi, tam valide, ut à parentibus in utero acceptam negotio insigniter vel mutant, vel efficiant, adeo totam corporis compagem formari, animarique vi cœlesti à causa universali, sciunt. A temperamentis vero divinis omnes seu moxiones ac propensiones, ad certa morum, studiorum, actionum, affectuum, appetitionum genera, & alia huiusmodi cœri, imò & casus cujuscunque eventus fingi longo usu & natura artifices peritissimi didicerunt; His astrorum veluti præmonstrationibus & indiciis addunt contemplationem, & observationem accuratam notarum omnium in singulis partibus exterioribus atque interioribus, & toto corpore, quæ fere temperamentis congruunt, atque offendunt vi crasum, quæ ex utrisque conjunctis æstimantur conglutissime, quæ cujusque sit natura, & ad quæ vitia feratur &c.*

Th. IX.

Fundamentum artis hujus prognosticæ partim ex Physicis, partim ex Astronomicis deducunt principiis; *Nimirum ex harmonia quadam siderum & superioris cum inferiori: sive ex analogia quadam macrocosmi cum microcosmo, cum in homine, tanquam parvo quodam compendio, tota illa mundi machina, & vis elementaris representetur. Et huc non inconcinne refertur famosa illa constitutio Constantini Imp. in l. 17. Cod. de pæn. qua facies humana ad similitudinem cœlestis pulchritudinis dicitur esse figurata; siqui-*

Modus o-  
perationis  
hujus phy-  
sicus & A-  
strologicus  
describitur  
Fundam-  
enta ar-  
tis geneth-  
liacæ.



siquidem per hanc non incongrue illustratur veterum Philosophorum dogma, quo singulis membris, suum cuique Planetam assignarent. Eleganter hoc declarat Vossius de Idololatr. gentil. Lib. II. Cap. 47. p. 209. ubi ait: *Astrologi planetarum vim in quodvis corporis membrum colligunt ex quadam analogia: eoque cor, à quo vitalis spiritus, respondere ajunt Soli, unde vivificus mundi calor; Cerebrum humidum humectanti Lune, quicum etiam crescit & decrescit: Jecur, quod officina est sanguinis, analogum esse Jovi, Planeta sanguineo ac vitali: Renes, qui vires largiuntur partibus generationi inservientibus, subjectos esse Veneri, signo prolifica: Splenem atrabilis receptaculum competere Saturno, Planeta frigido & sicco, eoque melancholici humoris praesidi; ac fel sive choleram convenire Marti, planeta igneae naturae, eoque, ut ajunt, cholericis & iracundis: Pulmonem, qui aerem ac spiritum attrahit & emittit, ac praeterea loquela inservit, subdi Mercurio, planeta ventoso, qui Soli semper est praesto, nunc huc nunc istus discurrens, instar nuncii missi ac facundè promentis mandata domini sui &c.* Ex hac proinde harmonia non inconsulte concluditur, talia sidera non frustra in caelo esse posita, cum ad tempora annorum, dierum ac noctium discernenda, nec non ad fecundandam terram Sol tantum & Luna sufficere possint; jam vero diversissimas stellarum ac planetarum mutationes, conjunctiones &c. advertimus, quæ certè sine usu, ad homines speciatim relato, quippe cui tota mundi machina inservit, & certo modo subjecta dicitur, ornatus tantum causa in firmamento caeli non possunt existere, aut nullum plane ad homines habere reflexum, unde hoc ipsum agnoscit celebris A. C. Theologus D. Rungius, qui in praefat. ad cap. I. Genes. p. 55. ita scribit: *Cum certum sit, astra agere in haec inferiora, nec ista tam illustria corpora, ornatus solum gratia sint condita, nec lucis tantum, cum ea Solis & Lune motu dispensetur, reliquorum vero Planetarum nulla interveniat operatio, frustra essent condita, quod cum absurdum sit, & magnas illorum conjunctiones mutationis aliquid afferre, experimentis comprob-*

proba-



probatum sit, non est à vero aliquid, aliquam dari ex Astris futu-  
 rorum prænotionem, sed contingentem non, necessario eventu con-  
 probandam. Accedunt porro signa Physiognomica & Chiro-  
 mantica in manu hominis ac facie, quæ notæ, cum sapi-  
 sime sint latentis animi index, neque illi tam mirabiles in  
 manu ductus, pressioni tantum manus possint adscribi, sed  
 sine dubio aliquid in natura indicent, argumentum etiam  
 faciunt ad istam Astralem prædictionem. Quod si  
 enim hæc improbari non possunt, & eventu sæpius com-  
 probantur, si accurate fiat iudicium, prout etiam concedit  
 Engel. *Colleg. Jur. Can. L. V. T. 21. n. 14.* & alii plures in  
 hanc rem scriptores. Ita idem de Astrologica illa prædi-  
 ctione erit admittendum, cum enim ex correlatione signo-  
 rum physiognomicorum & chiromanticorum cum signis  
 Astralibus exacta harmonia appareat, certe idem de al-  
 tero correlato erit admittendum iudicium, quod de uno  
 correlatorum conceditur. Supervenit his omnibus lon-  
 ga rerum experientia; Quæ uti in physicis utramque sapi-  
 us facit paginam, ut inde etiam commune sit axioma: *Ex-  
 perientia dat rationem.* Ita quoque in hisce Astronomicis cu-  
 ris non erit rejicienda. Jam vero, uti scribit Vossius de  
*Idolol. L. II. c. 47.* Multorum seculorum experientia est observatum,  
 homines vite genus amare, prout Planeta in ortu illuxerint. Et pro  
 constitutione illorum diversum esse temperamentum; pro temperamen-  
 to variare propensionem animi & mores; pro his quoque fortunam  
 sequi. Neque obstat, quod iudicia talia Astrologica sæpius  
 fallant; Verum facile constat, in hisce multa aut per fal-  
 laciã, aut per applicationem minus circumspecte factam,  
 contingere posse, quæ tamen artis ipsius dignitati detra-  
 here nil possunt. Totam hanc controversiam de his præ-  
 dictionibus Astrologicis, annexo moderato iudicio, quod  
 omnino adprobamus, exponit & decidit Magnificus Dns  
 Budeus in *Philosoph. Theor. Tom. II. Part. 4. cap. 3. §. 19. sqq.*  
 cujus verba non pigebit adscribere, ita enim loquitur:  
*Quod ad Astrologorum scita attinet, dum cælum in certas domos*

B

dispo.



disponunt, & ex siderum positu, qualis eo tempore fuit, cum quis natus est, futura singularia prædicunt, etiam talia, quæ à causis naturalibus non dependent, lubens fateor, me nullam hujus instituti invenire posse rationem. Imo cum infans, quando nascitur, talem jam sanguinis temperiem & constitutionem habeat, qualem semper retinet, non video, cur singularis tum siderum efficacia se exserere debeat: Taceo, quod talis siderum positus quam citissime mutetur, & momentum temporis, quo quis natus est, non semper accurate constet, ut reliqua prætermittam, quæ illis vulgo objici solent. Quicquid autem pro defendenda Astrologia dici posset, hoc, ni fallor, reddit: Deum velut fœdere se alligasse certo naturæ ordini, quo cuncta, etiam minutissima, per sidera, eorumque positum præsignificanda sint, ut necessario eo quisque tempore in lucem edatur, quo talis siderum positus est, qui cuncta ejus etiam in minutissimis indicare fata possit: Hanc siderum significationem ex traditione à primis parentibus antiquissimos Chaldaeorum accepisse Philosophos, à quibus ad græcos & per hoc ad nostram usque ætatem hæc disciplina propagata sit, eo quidem successu, ut hinc inde sit depravata, cumque applicatio non æque circumspicere ab omnibus instituatur, mirum non esse, quod fallere nonnunquam Astrologorum prædictiones videantur, cui tamen vitio, & justa circumspicere, & auctis in dies per diligentem observationem artis regulis succurri utrumque queat. Hæc sunt, ni fallor, quæ aliqua probabilitatis specie pro Astrologia dici possunt. Sed cum & hæc causam nondum consiciant, tota tandem disputatio ad experientiam redit. Ea vero, si dicendum, quod res est, rem facit adhuc obscuriorem. Multa sunt exempla, fateor, quæ artis vanitatem arguere videntur, sed quod in hisce multa aut per fallaciam, aut per imperitiam artificis, aut per applicationem minus circumspicere peccari possint, quæ tamen arti ipsi fraudi esse nequeant, nemo, puto, inficiatus fuerit. Sunt vero insuper & exempla quam plurima, in quibus prædictio eventui tam accuratè respondit, ut istud casu fortuito contigisse, vix sine impudentia asseri queat. Quare in eam ingredimur sententiam, licet Astrologia Judicaria per omnia probanda non sit, & ea forte, quam hodie habemus, ubique sibi non constet, posset tamen ei aliquid solidi subesse.

Adda-



Addatur Hier. Cardanus de *Judiciis Geniturar.*, exemplis illustratar, It. Ranzovius in *Horoscopographia*.

Th. X,

Compositores porro thematum Genethliacorum in *Varia appellationes* specie vocantur 1) *Genethliaci*, cujus denominationis rationem expendit Grilland. de *Sortileg. Sect. 2. n. 8* dum ait; *Astrologorum. Dicuntur Genethliaci, sic vocati propter natalitiōrum considerationum.* *nes, isti enim capiunt diem natalis & horam alicujus, & per 12. Coeli signa siderumque cursus calculantur, & prædicunt felices & infelices futuros eventus.* Dicuntur etiam *Planetarii* in *Can. 8. caus. 26. quest. 2.* ab ipsis Planetis, quorum vim & efficaciam in influentiis considerant. Quanquam hæc denominatio vulgo ferè in notam infamiæ abierit, ut circumforanei & impostores Zigari ita vulgo appellentur; Inde quoque Planetenlesen est prædicere aliquid ex manibus, vultu, fidere, aliasque divinationum species tractare. Dicuntur præterea *Horoscopi*, quod horas nativitatis hominum speculentur, dissimili & diverso fato juxta *can. 1. caus. 26. quest 3. & 4.* In LL. frequenti significatione appellantur *Mathematici*, quod per frequentem abusum Mathematici tantum, vanam divinandi curiositatem sectarentur. *tit. Cod. de Malef. & Mathem. B. Struv. Diss. criminal. VII. th. 17.*

Th. XI.

Hisce proinde præsuppositis, ante omnia quæstio illa præjudicialis est definienda: An justum sit thema genethliacum proponere aut consulere? *Quar. an justum sit thema genethliacum proponere.* Eine Nativität zu stellen/oder sich stellen zu lassen? Quod nos salva conscientia omnino fieri posse censemus, sub hac tamen declaratione perpetua, ut nos intra licitos usus contineamus, ita, ut neque in noxiam curiositatem, neque in diffidentiam divinæ providentiæ, aut alios abusus devertat; semper cogitando, quod sidera *inclinent*, sed non *necessitent*; Et quod homo super astra esse debeat, rationis tenens imperium, licet infra astra, in mundo sublunari, vivat, movent enim astra sed non dirigunt & cogunt.

B 2

Th.



Veterum  
Philoso-  
phorum  
hac de re  
placita re-  
feruntur.

Non desunt certe tam ex veteribus quam recentio-  
ribus, qui hanc ex Astris circa humanam vitam prædican-  
di facultatem, pro superstitione quadam & damnabili cu-  
riositate reputant, quæ plebejorum magis ingeniis, quam  
sapientiorum ingeniorum cultura conveniat. Unde licet  
antiquitus ab Ægyptiis & Chaldæis philosophis multum  
huic scientiæ fuerit attributum, qui eandem à Patriarchis  
accepisse se referunt, & maxime *Vaticinium Jacobi* de fu-  
turis stemmatum fatis, *Genes. cap. 49.* ad prædictiones  
tales Astrologicas recensent, quod tamen merito impro-  
bamus, *Prophetiam* hanc, non *Astrologicam* prænunciatio-  
nem reputantes. Tamen postea vel ob depravationem do-  
ctrinæ Astrologicæ, vel ex aliis causis politicis ab illa o-  
pinione recesserunt, & hanc divinandi scientiam tam Græ-  
ci quam Latini deinde Philosophi multum reprobarunt.  
Conf. Ant. van Dale *Diss. de origin. & progress. Idolol. & Su-  
perst. Diss. III. cap. 2.* Et inprimis *Favorini* Philosophi oratio  
apud Gellium *lib. XIV. Noct. Att. cap. I.* huc pertinet, ubi  
contra hanc Astrologicam scientiam vehementer disputat.  
Atque etiam *Socrates* hanc divinationis curam improbat,  
uti refert *Xenophon* in *lib. de dict. Socrat.* quod recenset  
*Eusebius de preparat. Evāng. cap. 4.* ibi: *Socratem* dicere  
solicum cognitionem futurarum rerum, quæ in Dei pote-  
state sunt, non esse hominibus procurandam; neque e-  
nim posse homines, eas res cognoscere, nec Deo gratum  
esse, si, quæ ille occultavit, ea mortales velint nimis stu-  
diosè curiosèque rimari. Gravissime porro in tales Astro-  
logos invehitur *Cicero* de *divinat. L. II. c. 42.* ibi: *Cum tem-  
pore anni tempestatumque cæli conversiones commutationesque tan-  
te stant accessu stellarum & recessu, cumque ea vi Solis efficiantur,  
quæ videmus, non verisimile solum, sed etiam verum esse censent, pe-  
rinde, utcunque temperatus sit Æther, ita pueros orientes animari  
atque formari ex eo ingenia, mores, animum, corpus, actionem  
vitæ casus cujusque eventusque fingi; O delirationem incredibilem,*



non enim omnis error stultitia est dicenda. Conf. Ott. Casmanni  
Astrolog. Part. II. c. 9. ubi latius has objectiones persequitur,

Th. XIII.

Allegantur præterea varia S. scripturæ loca & testimonia Patrum in contrarium. Ex illis præcipua sunt Levit. XIX. v. 31. item XX. v. 6. Deuteron. XVIII. v. 10. Et potissimum huc refertur Jesai. Cap. XLVII. v. 13. ibi: Sed defatigata es multitudine consilii tui; stent nunc & servent te observatores cælorum, spectantes stellas, divinantes in menses, ab illis, quæ venient super te. Concordant sanctorum Patrum dicta, quorum crebras disputationes adversus Astrologos, Genethliacos, Mathematicos ac Planetarios reperire licet. Uti de Origene testatur Eusebius de præpar. Evangel. L. VI. c. 9. Et ipse Origines Homil. 3 in Jeremiam & Homil. 6. in Jos. Tertullianus in libro de Idololatr. Lactantius l. 3. Inst. divin. c. 4. Gregor. Nazianzenus Orat. 2. Ambros. L. IV. Hexam. c. 7. Epiphanius L. I. Tom. 1. heres. 16. & alii. In primis vero Augustinus graviter in illos invehitur de Doct. Christ. L. II. c. 19. 20. 21. cujus verba in nostrum institutum allegantur à Gratiano in Can. 6. caus. 26. quest. 2. ibi: Neque illi ab hoc genere superstitionis perniciose segregandi sunt, qui olim genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgo Mathematici vocantur. Nam & ipsi quamvis veram stellarum positionem, cum quisque nascitur, consèctentur, & aliquando etiam pervestigant: Tamen quod inde conantur, vel actiones nostras, vel actionum eventa prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem.

Loca S.  
Scripturæ  
& testimo-  
nia Pa-  
trum.

Th. XIV.

Eodem pertinent varii Conciliorum Canones, quibus etiam hæc judicia Astrologica improbantur. Ita Concilio Bracarensi I. can. 8. dicitur: Si quis animas & corpora humana fatalibus stellis credit asringi, sicuti Pagani & Priscilianiste dixerunt, anathema sit. Similiter etiam Can. concilii Laodicensi vetantur in ordinem Ecclesiasticum recipi cum magis & in-

Canones  
Concilio-  
rum,



*cantatoribus Μαθηματικοὶ ἢ ἀστρολόγοι, nec minorum quidem ordinum in Ecclesia sunt compotes, qui clerici tum vulgo vocabantur & Mathematicæ aut Astrologiæ operam dare volunt &c. Ad quorum tamen canonum intellectum hic est subnotandum, quod paganica maxime gentilium damnetur Mathematica & Astrologia, quatenus scilicet ista cum falsa quadam divinitatis persuasione, vel arte magica esset commixta. Siquidem, uti Salmasius in *Diatr. de annis climact.* & *antiq. Astrol.* ait: Cum observatio siderum fieri cœpta est, ad prædicendum de motu eorum & posito, quid cuique genito tota vita esset eventurum, jam dudum illa ipsa sidera Deos esse, imbiberat communis Philosophorum & populorum sententia. Tanto igitur facilius fuit, quasi certissimum vulgo persuadere, quia ab iis, qui Dii summo omnium consensu putarentur, proficisci crederetur, atque eorum decretis perfici. Ut autem cum tali Theologia Gentium homini Christiano nihil rei esse potest, nisi velit pro Idololatra haberi, ita neque cum ipsa illorum Astrologia, qui eadem utriusque scientiæ principia, nempe Θεότης. Atque hinc hodie quoque in Inquisitionis Tribunalibus ex Bulla Sixti IV. Pontificis, contra profitentes Astrologiam judiciariam procedi, notat Gonzalez in *Comment. Decretal ad cap. 2. X. de Sortileg in fin.**

Th. XV.

*Status  
Imperii  
Rom. &  
Legislatorum.*

Si porro ad Statum Reipublicæ Rom. respicimus, varios circa jus & autoritatem Astrologiæ hujus judiciariæ mutationes deprehendimus; Uti eleganter in hanc rem loquitur Tacitus *L. I. Histor. cap. 22.* ibi: *Genus hoc hominum potentibus insidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra & vitabitur semper & retinebitur.* Unde historiam & progressum variorum edictorum & constitutionum Imp. describit Guil. Forster *Hist. Jur. Civ. l. I. cap. 16. & 17.* & ex eo excerptam exhibet B. Struv. in *Diss. crimin. VII. th. 17 & in Jur. Sacr. Justin. ad L. I. tit. 4. l. 10.* Nimirum Anno V. C. 15CXIV C. Cornelius Hispalius, Prætor, edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex urbe atque Italia jussit. Valer. Max. *L. I. cap. 3.* Deinde M. Agrippa, Ædilis, Astrologos ex urbe



urbe ejecit Anno 10 CC XXII. Dion. *Lib. 49.* Postea sub Octaviano rursus ejecti sunt A. 10 CCLXI. Dion. *L. 49.* Et vaticibus interdictum est ab Augusto, ne de morte cujusdam prædicerent. Dion. *L. 56.* Et Tiberius, etsi Thra-sylio assidue uteretur, & singulis diebus vaticinia ac-ciperet, tamen postea omnes Astrologos externos ne-ca-vit, cives civitate propulit. Sueton. *Tiber. c. 36.* & Vitel-lius non tantum irridebat Astrologos, sed etiam Impera-tor factus, ut Romam venit, imprimis edicto proposito, Astrologos expulit ex urbe, edixitque, ut intra certum diem, quem ipse constituerat, ex omni Italia excederent. Sueton, in *Vitell. c. 14.* Facta etiam sunt de Mathematicis & Magis Italia pellendis *Senatus Consulta*, nimirum Anno 10 CCLXIX. Coss, L. Pomponio Flacco & C. Cælio Rufo; vel Tauro & Cilone Coss. qui in consulatu illos anno pro-ximo præcesserunt. Ulpian. *Fragm. Collat. LL. Mosaic. c. 8. 15.* Deinceps Diocletianus & Maximianus circa annum Christi 300. constituerunt, artem Mathematicam dam'nabi-lem omnino esse & interdictam, juxta, *l. 2. Cod. de Malef. & Mathemat.* Postea Constantinus Imp. omnem divinandi curiositatem sub pœna capitis prohibuit *L. 5. Cod. d. t.* De-inde Imp. Valens A. C. 370, idem repetiit in *L. 8. Cod. Theod. eod.* Porro Honorius Imp. Ao. C. 409. Mathematicos non solum urbe Roma, sed etiam omnibus civitatibus pelli decrevit, nisi ab errore suo velint desistere. *L. 10. Cod. de Episc. aud.* Tandem denique Justinianus Imp. dum hæc pleraque in Codicem suum referri voluit, easdem Con-stitutiones approbasse censetur; Ut inde eo minus de hodierna prohibitione dubitandum sit, cum in plerisque Carolus V. in sua Constitutione Criminali ad Leges Civi-les Justiniani se referat.

Th. XVI.

Ex hisce proinde principiis non desunt tam Philoso- *Philosophi*  
phi quam Icti, qui hanc Astrologiæ scientiam tanquam *& recen-*  
vanam & nullius ponderis rejiciunt. Inter Philisophos *tiores Icti*  
sunt



qui hanc  
artem re-  
jiciunt,

sunt præter supra memoratum Casmannum, Ant. le Grand  
Influ. Philosoph. Part. V. Cap. 24. — Jac. Rohault Tract. Phys.  
Part. II. Cap. 27. & alii. Ex Jctis membranatus est Tuiden-  
nus, qui in Comment. ad tit. Cod. de Malef. & Math. n. 5. ita  
loquitur: Uli pari vanitate, iia impietate etiam majore, indoles,  
mores, affectus, recte facta aut scelerata hominum divinant ex Astro-  
rum variis conspectibus conjunctionibusque, quo ortum cujusque  
temperant; alia atque alia singulis animi viribus & membris præ-  
sicientes. Et alii quidem astra causas constituent efficaces & com-  
pellentes; alii vero inclinantes tantum; alii denique indicia solum.  
Illi etiam in conditorem astrorum impie contumeliosi, ut autorem  
impietatis & flagitiorum. Quasi vero omnis illa varietas affectu-  
um ingeniorumque non haberet evidentiore propinquioresque cau-  
sas, indolem parentum, educationem, victum, conversationem, de-  
nique liberum arbitrium, quod illi fere evertunt. Quin etiam si  
crimina removeas, ipsa Dei providentia per tam diversos impetus  
divisit ingenia; alia ad sapientiam vel prudentiam excitando, alia  
roborando ad militiam, alia aptando ad dexteritatem artificiorum,  
ut dum alii aliorum ope indigent, sanctius teneantur foedus socia-  
tis humane. Et hæc igitur ad commentitiam Astrologiam spectant.  
Nam ut concedatur, influxus Astrorum non nihil valere in afficien-  
dis animis, id tamen non directo sed oblique per commotiones æris  
corporisque tentant: Obstantibus quoque varie & temperantibus  
causis, quas diximus propinquiores; Ex quibus proinde potius,  
quam ex Astris ars hæc vanissima extruenda esset. Sidera enim  
cum sint cause universales, non possunt in singulis diversas pro-  
clivitates, nisi pro diverso concursu proximarum causarum. Simi-  
liter iudicium suum de hac arte suspendit, ita tamen, ut  
magis in reprobantium sententiam discedat Bachov. ad  
Trentler. Disp. XXXII. ad th. 7. lit. C. ibi: Gravis autem illa  
est questio, an ex Astris futura, & qua cuique obventura sunt,  
predici queant, & an ars sive scientia potius, qua istud proficitur,  
pro licita, an pro illicita sit habenda. Plane eam apud Judæos  
exercitam legimus, quin imò Deus sub appellatione prognosticorum  
illud genus hominum damnavisse videtur. &c. Consentiant cum  
his



his Peretz Comm. in Cod. ad tit. de Malef. & Mathem. n. 5.  
Engel. Colleg. Jur. Can. tit. de Sortileg. n. 11. 12. Hopper. de  
Jur. Art. L. II. cap. 8.

Th. XVII.

Ex moralitate præterea hanc artem Astrologiæ judicaria impugnant, ex eo, quod tales Genethliaci in hoc censeantur delinquere, quod divinam providentiam altissimi Numinis, his sortibus videantur subjicere, ejusque consilia, suæ sapientiæ reservata, expiscari velint, quod movet Delrio in *Disquis. Magic. Lib. IV. Cap. 3. qu. I.* & advertit etiam Wagnerneck ad *Decretal. Comment. tit. de sortileg. cap. I. not. 2.* Quanquam ita adhuc discrimen facere velint inter scientiam hujus artis & exercitium; illam permissam, hanc damnabilem esse censent; cum illa ad naturales rerum causas; hæc ad superstitionis curiositatem pertineat. Uti notanter habet Autor *Collationum Leg. Mosaicar. Tit. XV. rubr. de Math. & Manichæis, verb. Præterea interdicta est Mathematicorum callida impostura & obstinata persuasio. Nec hodie primum interdici eis placuit, sed vetus hæc prohibitio est. Denique extat Sctum Pomponio & Ruffo Coss. factum, quo cavetur, ut Mathematicis. Chaldeis, ariolis & cæteris qui similem incertum fecerunt, aqua & igni interdicator, omniaque bona eorum publicentur. Sed fuit quaesitum, utrum scientia hujusmodi hominum puniatur, an exercitium & professio. Et quidem apud veteres dicebatur, professionem eorum, non notitiam esse prohibitam. Postea variatum. Nam dissimulandum est, nonnunquam irrepsisse in usum, ut etiam profiterentur, & publice reprehenderent. Quod quidem magis per contumaciam & temeritatem eorum factum est, qui visi erant vel consulere vel exercere.*

Ratio moralis cum equilibrio

Th. XVIII.

Verum si illa in contrarium allata inter se & cum historiis illorum temporum conferimus, deprehendere sane licet; Non omnem ex Astris predicendi notionem rejici;

Respondetur dubiis cum declaratione.

C

Sed



Sed tantum damnari noxiam & improvidam sciendi curiositatem, ac divertentem à divina providentia, vel cum ope diabolica conjunctam. Sicuti ipsi dicti Autores subinde in antecedentibus & consequentibus suis dictis scriptisque sublimant, neque omnem naturalem rerum scientiam pervertere volunt. Et hinc bene *superstitiosam* illam à *physica rationalis Astrologie* distinguit Zæsius ad *Decretal. lib V. tit. 21. n. 9.* Et inde *Tepatus Compend. Decision. P. I. tit. 40, cap. 2.* ait: *Astrologia tunc esset prohibita, quando quis in ea uteretur incantationibus & divinationibus diabolicis, vel prædiceret ex certa scientia, imponens necessitatem futuris contingentibus per cursum astrorum; alias secus.* Conf. *Wolf. in Part. I. Relect. Memorab. p. 796. sqq.* Sub eadem declaratione, remotis dubiis, scientiam hanc & exercitium Astrologicæ prædictionis defendunt *Grilland de Sortileg. p. 165. n. 13. 14.* item *Gonzalez Comm. Decretal. ad cap. I. X. de Sortileg. n. 5.* Atque imprimis notarimerentur ea, quæ *B. Struvius in Jur. Sacr. Justin. s. progymnasmat. ad Cod. ad. l. 10. C. de Episc. and. ex Guil. Forstero* refert sequentibus verbis, post alia: *Quid ergo? Mathematica purè & simpliciter damnabilis & interdicta? Mathematicus indistincte cruciatus & tormenta patiatur? Capitali sententia feriatur? absit.* Scio, quod *Astra non sint colenda Deuteron. IV. v. 19. & XXIX. v. 26.* Scio, quod *Deus astra regat. Hiob. XXXII. v. 31. sqq. Genes. I. v. 14. Jud. V. v. 20.* Scio, quod *quærendus sit opifex Plejadum & Orionis, qui & mutat in matutinum densissimam umbram, diem nocte obtenebrat. Hamos V. v. 8.* Sed nolo *disputationem in me derivare, quam habent hac de re Theologi Mathematicique. Videndum modo, an pure, simpliciter & indistincte, Mathematici sint expellendi, fugandi, capitaliter puniendi, vi vigore Constitutionum Imperatoriarum? & nolim adhuc asserere.* Dixerim, *Mathematicam Imp. intelligere vanas quasdam & curiosas nimium perquisitiones & observationes ad magiam procliviores; & Mathematicos damnare, non Mathematicos, uti distinguit hæc Gregor. Tholosan. L. 34, Syntagm. cap. I. & intelligere*

re



re impostores, liberali Mathematicorum nomine adumbrantes in-  
ineptias magicas, Vultej. Jurisprud. Rom. L. I. cap. 49.

## Th. XIX.

Atque hinc *Judicium* nostrum de Astrologica Ge- *Judicium*  
nethliacorum prædictione eo tendit; Referimus talem *de Astrolo-*  
scientiam sive artem in se spectatam, detractis nimirum *gia judi-*  
mentis humanæ malis affectibus, ad res *adiaphoras, indif-*  
*ferentes & naturales scientias*; adeoque etiam inter res *licitas,*  
quæ, modo abusus absit, in foro non tantum *civili,* ve-  
rum etiam *Ecclesiastico & conscientie* admitti omnino possunt.  
Idque semotis aliis argumentis potissimum probamus, ex  
*inculpata res naturales perquirendi licentia,* quæ omnibus homi-  
nibus, rationis Imperio utentibus, ex naturali facultate  
competit. Uti enim alias rerum naturalium causas ac  
connexiones inquirere, homini ingenuo non habetur in-  
decens, ad culturam ingenii sui; ita neque ipsum Astro-  
logiæ studium, quatenus intra fines humanæ cognitio-  
nis consistit, & naturam temperamentorum in homine,  
ex quodam siderum influxu & constellatione cæli dedu-  
cit, non potest haberi res in se illicita, sed inter natura-  
les rerum scientias, quæ vires naturæ à Deo infitas, per-  
quirunt, est recensenda.

## Th. XX.

Nec deterrere debet homines principiorum *incertitu-*  
*do,* aut quasi *sine* suo sit destituta illa disciplina. Etenim  
respondetur: Quod in reliquis disciplinis Physicis sæpius  
non minor sit incertitudo; Uti satis id declarant innumeræ  
Physicorum disputationes de primis elementorum prin-  
cipiis, controversiæ de Magnete, de Tonitru ac fulgure;  
imò de ipsa anima hominis, & ejus definitione ac con-  
ceptu tam variantesunt Philosophorum opiniones, ut  
ingressus sit clarior, quam regressus; exinde tamen nemo  
concludere poterit, quod ob incertitudinem illarum re-  
rum, cognitio & pervestigatio sit penitus negligenda aut

*Objectio-*  
*ni respon-*  
*detur.*



improbanda ; Imo hoc ipsum excitare debet diligentem animum, ut aliquando certum quid inveniatur, quo tuto se fundare possit, & adplicandum hic est, quod de *Babyloniorum scientia* monet Hieronymus, allegatus à Gratiano in can. 11. dist. 37. ibi : *Discunt, non ut sequantur, sed ut judicent, atque convincant : Quomodo si adversus Mathematicos quispiam velit scribere, imperitus Mathematicis.* Nec sine suo destituetur hæc cura, cum scientia rerum naturalium per se faciat ad culturam ingenii, & contemplatione infinitæ sapientiæ divinæ, quæ ex ipsa naturalium rerum inter se connexionem & indagata harmonia oritur, animus mirifice accendi possit, in admirationem arcanorum divinæ Majestatis, quæ in isto rerum ordine, atque inexplicabili siderum in res has sublunares correspondentia, abundanter elucet. Cum enim fundamentum hujus artis Genethliacæ, quod in siderum influxu consistit, negari plane non possit, non suppetit ratio, quare non permissum esse debeat, hujus causas, connexiones, & effectus penitus inquirere, & traditis hæctenus & per tot seculorum experientiam probatis regulis nonnullis uti, non quidem tanquam criterio infallibilis veritatis, aut demonstrationis cujusdam apodiæticæ, sed tanquam viam & excitemento ad inquirendam veritatem, quousque scilicet mens humana in arcana naturæ penetrare queat ; ita tamen, ut hæc omnis pervestigatio fiat cum devota reverentia erga divinum Numen.

Th. XXI,

*Additur  
alia ratio  
à pari.*

Si porro non improbamus *Judicia & Prognostica Medica, Moralia, Politica*, quibus homines periti & prudentes, de futuro morbi vitæque exitu, de fortunæ præcipitio, de Regnorum aut Regnantium flore aut cadentia, in futurum augurantur ; Quamquam stamina & terminus nostræ vitæ à Deo, & Regna ab altissimo Numine dependeant; tamen propterea, quod juxta regulas suas medicas, mora-



morales aut politicas, de futuro rerum eventu conjectu-  
rati sunt, non dicuntur injuriosi existere in Deum, aut  
aliquam inde fatalem necessitatem accersere, vel provi-  
dentia divina aliquid velle detrahere; sed potius lau-  
dem prudentia & cauti viri ab omnibus promerentur.  
Ita dispar ratio non est in Genethliaco, quando juxta re-  
gulas physicas vel Astrologicas de hominis affectu & fu-  
turo rerum eventu, quaedam probabiliter conjicit, si mo-  
do superstitionem divinitatis, & noxios affectus semove-  
re velis.

Th. XXII.

Atque hoc ipsum agnoverunt non tantum Jcti su-  
pra laudati, sed rigorose quoque satis in hanc rem loqui-  
tur Weber de Jure Consistor. Cap. XXVII. sect. 12. ibi: Cum  
primis animadversio in magos, hariolos, divinatores, ac Astrolo-  
gos, quorum impietati plurimum debemus, instituenda est, ne illi  
populum ad superstitionem abducant. Astronomia quidem lauda-  
ta, verax & prudens mater; Astrologia vero stulta ac dicacula  
ejus filia est, ambubajarum ac artopolidum collegio inserenda & in-  
ferenda, Mater ob filiam non est contemnenda, nec ejus veritas  
cum erroribus & imposturis filiae confundenda. Dantur Astrolo-  
gi, sed cauti, discreti ac modesti; Dantur è contrario illiterati ac  
barbari, ex vulgaribus libellis, quos Planetarios dicimus, condoce-  
facti, à quibus mundus, & in eo Proceres volunt decipi, & suae  
naturae secreta denudari non sine risu sapientum. His artificium  
seu opificium intercendum est. Atque huc referri potest, quae  
Valentinianus Imp. de Haruspicina sanxit, uti legere est in  
l. 9. Cod. Theod. de Malef. & Mathem. ibi: Nec haruspicinam repre-  
hendimus, sed nocenter exerceri vetamus. Vult nimirum Impera-  
tor nemini religionis scrupulum excitare, sed liberam  
cuique colendi sua sacra libertatem concedit. Quam qui-  
dem controversiam, de libertate religionum in republica  
toleranda, nostram non facimus, sed alii reservamus lo-  
co; Attamen ex hoc dicto Imperatoris pro nostro thema-

Testimo-  
niam ad-  
ditur &  
Constitutio  
quedam  
Valentini-  
ani expli-  
catur.



te Genethliaco concludere licet; tolerari posse in republica illam ex sideribus prædicendi notitiam & culturam, nec conscientis scrupulum posse injici circa rem in se adiaphoram, si intra limites humanæ modestiæ se contineat.

Th. XXIII.

*Cautela  
circa hanc  
scientiam.*

Non tamen negamus, *caute* in hac ipsa artis Genethliacæ scientia esse procedendum, ne in superstitionem quandam aut in noxiam curiositatem degeneret, cum enim ingenium humanum maximè proclive sit in futura prænoscentia, ita certe affectus ille humanus erit temperandus, ut neque in excessu, divinitatis aliquid eidem tribuendo, neque in defectu, ad magiam deflectendo, peccet. Et hoc nomine optima ratione providet Magistratus tum Ecclesiasticus, tum secularis, ut certos huic scientiæ ponat limites, si ultra frenum moderatæ libertatis humanæ velit evagari. Ut hinc propter abusum delinquentibus, abitio ex territorio, vel alia gravior pœna possit infligi, ne falsa sua persuasione aut arte diabolica alios corrumpant. Atque huc etiam collimat Pauli dictum, qui *lib. V. Recept. sent. tit. 21. princ.* ait: *Vaticinatores, qui se Deo plenos adsimulant, idcirco civitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad spem alicujus rei, corrumpere, vel certe ex eo populares animi turbarentur. Ideoque primo fustibus casti, civitate pelluntur: Perseverantes autem in vincula publica conjiciuntur, aut in insulam deportantur, vel certe relegantur.* Et ita etiam interpretor Brunnemannum de *Jur. Eccl. L. III. cap. I. §. 23.* ubi dicit: *Præsertim vero Consistoria prohibere debent omnes divinationes ex Astris de futuris eventibus.* Neque aliam ullam addit rationem, quam quod veteres eandem reprobaverint, quæ tamen testimonia, uti supra notavimus, de abusu tantum non de licito Astrologiæ usu sunt accipienda.

Th. XXIV.

*Objectum*

Objectum & causæ circa quas artis hujus genethliacæ



liacæ exercitatio versari debet, sunt *Res humanae*. Unde ad *artis Genethliacæ* Atheismum proxime vel Socinianismum illorum curiositatem deflectere arbitror, qui Christianæ fidei *mysteria* stellis subjiciunt, atque ex Astrorum influxu vel situ talia deducere volunt; Inter hos est Petrus Alliacensis, Episcopus Cameracensis, qui in libro suo de *Concordia historie & Astrologie divinatricis* etiam diluvium Noe, natalem Domini & miracula ejusdem, fideique Christianæ mutationes, omniaque prodigia ex Astrologia præsciri, ac prædici potuisse, arbitratur. Conf. Vossius de *Idololat.* L. II. c. 48. it. de *universæ Mathes. natura & constit.* cap. 38. p. 14. p. 215. Firmicus quoque Albumazar, Aponensis, Machiavellus & Paul, Jovius, Italique complures in hunc scopulum impegerunt, quos proinde merito increpat Joh. Picus. *Mirandula Comes* L. II. *contr. Astrolog.* cap. 5. Cum enim talia mysteria, non possint modulo mentis & rationis humanæ æstimari, sed sint divinæ potentia reservata, & naturam omnem transcendant, certe non potest creaturis subjici, & nimis profanum foret, eadem ad naturales referre causas, quæ supernaturalibus viribus debent adscribi, Add. Delrio in *Disquisit. Magicis* L. IV. c. 3. *quest. I.* Th. XXV.

Debent præterea circa causas *privatas* se continere Astrologi, neque de Statu Reipublicæ, aut de salute Principis consulentes recipere, maxime in Statu populari atque democratico, cum facilis inde nasci possit seditionis materia. Ut proinde Astrologi, qui de vita Imperatoris sive Principis, aut de Statu Reipublicæ, ejusve mutatione temere judicia Astrologica facere velint, merito plectendi veniant. Prout etiam docet Jul. Paulus *Recept. sentent.* Lib. V. tit. 21. ibi: *Qui de salute Principis vel summa Reip. Mathematicos, Ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo, qui responderit, capite punitur.* Rationem hujus decisi reddit Tertullianus *Advers. Gent.* qui ait; *Qui opus, est perscrutari super*

*Excluduntur causas Status.*

*lib. I. tit. I. de hæreticis, lib. I. tit. I. de hæreticis, lib. I. tit. I. de hæreticis, lib. I. tit. I. de hæreticis.*

*super*



*Super Caesaris salute, nisi à quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur & sustinetur. Non enim ea mente de charis consulitur, qua de Dominis. Aliter curiosa est sollicitudo sanguinis, aliter servitutis. Et hinc quoque Julius Firmicus L. II. Mathes. c. ult. ait: Cave, quando de Statu Reipublicæ vel de vita Romani Imperatoris aliquid interroganti respondeas; non enim oportet, nec licet, ut de Statu Reipublicæ aliquid nefaria curiositate dicamus. Atque idcirco tali casu capitis pœna speciatim ab Imperatoribus statuta legitur apud Ulpianum Lib. VII. de Offic. Procons. sub tit. de Mathem. & Vaticinatoribus, ibi: Sapissime denique interdictum est, fere ab omnibus Principibus, ne quis omnino hujusmodi ineptiis se immisceret, & variè puniti sunt hi, qui id exercuerunt, pro mensura scilicet consultationis. Nam qui de Principis salute, capite puniti sunt, vel quâ alia graviore poena affecti. Id quod etiam secuti sunt Carolus M. & Ludovicus Impp. qui in Capit. L. VII. cap. 285. ita decernunt: Qui de salute Principis vel summa Reip. Mathematicos, Ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo qui responderit, capite punitur. Add. Lindenbrog Cod. LL. Antiqu. p. 1100. Grotius Flor. spars. ad Jus Justin. tit. de Malef. & Mathem. Pari- inter olim servos, qui de salute dominorum consulerent, ultimo fuisse affectos supplicio, notat Jul. Paulus Recept. sent. Lib. V. tit. 21. vers. fin. ibi: Non tantum divinatione quis, sed ipsa scientia, ejusque libris melius fecerit abstinere. Quod si servi de salute dominorum consulerint, summo supplicio, id est, cruce afficiuntur. Consulti autem, si responsa dederint, aut in metallum damnantur, aut in insulam deportantur.*

Th. XXVI.

*Libri Mathematicorum an sint comburendi.*

*Ex eadem ratione libros Mathematicorum comburendos esse, tradit Honorii & Theodosii Constitutio in l. Mathematicos 10. Cod. de Episc. aud. Idque de iis Mathematicis explicat Gothofred. in not. add. l. litt. K. qui sunt impostores, & Mathematicorum liberali nomine adumbrantes ineptias suas profitentur, se fata cujusque nosse, & natalitias*

tias



tias siderum observationes; eodemque videtur conclu-  
dere Brunnem. ad d. l. Verum facile patet, idem accipi-  
endum esse, de nimio divinandi scientiæ abusu illius  
temporis, quo ut plurimum magia erat admixta. B. Struv.  
de Vind. privat. Cap. III. aphorism. 9. Atque hoc etiam re-  
spectu ex communi hæreditatis divisione tales libri erunt  
removendi, quatenus scilicet magicam aut superstitiosam  
quandam scientiam simul complectuntur, prout decidit  
Ulpianus in l. 4. §. 2. ff. Fam. Erisc. ubi ait: *Mala medicamenta  
& venena veniunt quidem in Judicium, sed Judex omnino inter-  
ponere se in his non debet. Boni enim & innocentis viri officio  
eum fungi oportet. Tantundem debebit facere, & in libris impro-  
bata lætationis, magicis forte vel his similibus, hæc enim omnia pro-  
tinus corrumpenda sunt.* Add. l. 6. 16. Cod. de heret. Quam-  
quam vero Faber in ration. ad Pand. b. l. putet, Ulpianum  
sub voce *his similibus* intelligere libros ad christianam re-  
ligionem pertinentes, sicuti & ipse erat hostis christia-  
norum infensissimus, prout constat ex l. 1. §. 3. ff. de ex-  
traord. cognit. ibid. Gothofr. in not. Tamen non incongrue  
etiam ad sensum Ulpiani dictum putem, si libros Astro-  
logicæ scientiæ divinatoriæ simul ex stylo illorum tem-  
porum reprobatos esse dixerim, siquidem ex loco Ulpiani  
supra allegato *ib. 17.* constat, quod vocaverit hanc artem,  
*callidam imposturam & obstinatam persuasionem.* Verum iti-  
dem hæc verba, non de quibuslibet libris, sed tantum  
venenatis sive improbis accipienda erunt. Add. Scip. Gen-  
til. ad l. 8. Cod. de Malef. & Mathemat.

**Th. XXVII.**

Cum ergo moderata Astrologiæ judiciariæ species  
inter res licitas omnino referenda sit; Idcirco exinde  
recte concluditur, quod datum vel promissum præmium  
ad indicia ex Astris facienda, de futura hominis fortuna,  
non possit inter turpiter data aut accepta referri. Atque

*Premium  
Astrologo  
datum non  
est turpe.*

D

huc



huc referunt l. 4. §. 4. ff. de condict. ob turp. caus. ibi : Si tibi indicium dedero , ut fugitivam meam indices , vel furem rerum mearum , non poterit repeti , quod datum est , nec enim turpiter accepisti. Quam legem Gonzalez in cap. I. X. de Sor- tileg. n. 11. singulariter interpretatur , de indicio furis astrologico , quale olim frequenter per Astrolabium fieri solebat , & merito reprobatur , ac proinde putat , datum eo nomine ad indicandum furem , per talem artem illicitam non posse repeti , cum in pari causa possidentis conditio habeatur melior , & ita cesset conditio l. 3. ff. de his qu. not. infam. Verum haec opinio Gonzalez non erit per omnia admittenda. Ratio enim dubitandi , cur turpiter acceptum videatur , & inde dari debeat conditio , est non illa , quasi hic de illicita quadam arte Astrologica agatur ; siquidem d. l. indicium furis , cum servo fugitivo conjungitur. At vero tales servi fugitivi saepe latitabant penes hos vel illos , & sine scientia Astrologica , ex aliunde comparata notitia poterant indicari ; & ideo quoque non praecise textus de indicio furis per Astrolabium factus , intelligendus , cum & alia dentur furis latitantis indicia ; Verum ratio dubitandi , uti bene advertit Faber in Ration. Pand. ad h. l. est illa , quod qui aliquid accipit , ut faciat , quod gratis & ex sola honestate facere debebat , turpiter accipere intelligitur. Verum hoc non obstante contrarium deciditur , quia nulla necessitas quempiam cogit , ut delicta denunciaret , vel delinquentem , ob incertum probationis periculum , indicet. Et inde potius textum de licitis indicibus furem deprehendendi accipiendum esse arbitror ; prout etiam statuit Jul. Paulus Lib. II. Recept. sentent. tit. 31. ibi : Ob indicium comprehendendi furis proemium promissum jure debetur. Et discrete se ipsum explicat Ulpianus in l. solent. 15. ff. de praescript. verb. ubi dicit : Solent , qui noverunt servos fugitivos alicubi celari , indicare eos dominis



dominis, ubi celentur, quæ res non facit eos fures: solent etiam mercedem hujus rei accipere, & sic indicare; Nec videtur illicitum esse hoc, quod datur; quare qui accepit, quia ob causam accepit, nec improbam causam, non timet conditionem. Quod pari modo etiam de rebus ac fure ab alio celato, atque indicato, interpretandum venit. Nec non simili ratione de præmiis ob thema Genethliacum promissis aut datis prædicari potest, quod negotium aliquod civile in se contineant, atque ad contractum quendam innominatum, do ut facias, vel facio ut des referri possint, ut inde præmii promissi exactio vel actione præscriptis verbis, vel imploratione Judicis extraordinaria peti possit. arg. d. l. 15. ff. d. P. Verb.

Th. XXVIII.

Ex præsuppositis porro quaeritur de Astrologo consulto & eundem consulente, an injuriarum conveniri possit, si mala prædixerit? Quæ quidem quaestio est bicommembris, una nimirum pars agit de Astrologo consulto, an ille injuriarum teneatur, si forte juxta regulas scientiæ suæ mala quædam de ingenio & affectu cujusdam prædicaverit, eum dicendo pessimæ notæ hominem &c. Et negative respondet Ulpianus in l. 15. §. 13. ff. de injur. ibi: Si quis Astrologus, vel qui aliquam illicitam divinationem pollicetur, consultus aliquem furem dixisset, qui non erat, injuriarum cum eo agi non potest, sed constitutiones eos tenent. Cujus decisi ratio in eo est posita, quia talis Astrologus non dolo malo, nec animo injuriandi hoc fecisse & furem dixisse præsumitur, sed artis & professionis suæ causa id fecit, falsa regulæ suæ persuasionem deceptus. Jam vero satis constat, injuriam sine affectu & animo injuriandi non fieri, cum in hoc ratio injuriæ formalis consistat, l. 3. §. 1. ff. de injur.

*Actio injuriarum an detur contra Astrologum mala prædicentem.*



& sciens contra regulas artis quem furem dixerit aut alias male descripserit, ut forte diffamaret eum penes sponfam, aut alios honestos viros, illum recte injuriarum conveniri posse, existimo.

An Astrologus culpam præstare debeat in pronuntiando themate.

Th. XXIX.

Verum licet dolo careat forte Astrologus, & ita propter injuriam condemnari non possit; Attamen hic ulterius quæritur: Annon culpæ reus fiat, si forte in calculatione, modo ac regulis & criteriis non bene & negligenter examinatis fefellerit, ut inde ad minimum ad interesse conveniri possit? Quod, cum distinctione tamen, affirmandum esse omnino censemus. Quamquam enim hæc artis genethliacæ prognostica ad operas liberales & causas extraordinarias referri videantur, quæ proinde in talem contractum nominatum, ubi æstimatio rerum spectatur, non cadunt, siquidem labor iste, non mercede, sed honorario pensari soleat; Attamen hoc non nocet, quo minus talis Astrologus ad culparum præstationes teneatur, cum etiam tales ab Advocato & aliis artes liberales profitentibus præstari debeant arg. l. 14. §. 1. C. de judic. Circa ipsam proinde culpæ præstationem distinguendum est; Aut fallit Astrologus ex imperitia quadam, quod sc. falso scientiam hujus artis jactaverit, & ita alterum ad consulendum induxerit, & tenetur de omni errore, cum talis jactitatio dolo habeatur proxima, & cum imperitia per se culpæ annumeretur l. 6. §. 7. ff. de offic. Præs. Multo magis hoc casu erit culpabilis, ubi quis se pro perito gessit, ut ideo eventum suæ fraudis ex omni parte præstare debeat; Aut vero alias artis suæ sufficienter gnarus, extra fraudis consilium constitutus, tantum in calculatione alioque modo fallit; Et ultra culpam latam talem Astrologum obligatum non censeo; cum



cum enim negotium prædictionis Astrologicæ tale sit, ut facile error committi possit, etiam à peritissimo, hinc ultra humanæ potentiaæ metas nemo potest adstringi; Idque exemplo agrimensorum decerni ita potest. Si enim hi sine dolo malo in modo pronuntiando fefellerint, præter culpam latam non obligantur *l. 1. §. 1. ff. si mensor fals. mod. dixer.* Multo minus Astrologus ultra conveniri potest, cujus prædictiones magis intricatæ sunt & periculosiores in fallendo. Conf. B. *Struvii Syntagm. Civ. Exerc. 15. tit. 62.*

Th. XXX.

Sed revertimur ad alterum quaestionis propositæ membrum, inquirentes, quid juris sit in *consulente*, an ille injuriarum teneatur? Quod affirmant, talis enim certam personam nominans, quem furem vel similis farinae hominem esse increpat, non erit ab injuria immunis, ac proinde judicium de tali sensu astrologicum requirens, male agit, & injuriam fecisse dicitur, uti notat Peretz ad *tit. Cod. de Males. & Mathemat. n. ult.*

Quid juris sit in Consulente.

Th. XXXI.

Similiter concluditur; Quod Astrologus crimen falsi committat, qui contra regulas Astrologicas thema Genethliacum scienter falsum proponit arg. *cap. un. Caus. 26. quest. 1.* ubi Isidorus ait; *Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt.* Agit nimirum ille textus de sortibus illis, quæ per inspectionem certorum librorum sc. Psalterii vel Evangelii, olim peragabantur, & merito prohibentur *cap. 1. X. de Sortileg.* Nihilominus tamen subje-

Astrologus quatenus falsi teneatur.



Et inibi ratio : *sub nomine fictæ Religionis* ; etiam ad prædictiones Astrologicas concludit, dum generaliter tales sortilegi improbantur, & falsariorum nomine veniunt, quod homines fictæ alicujus religionis prætextu fallant ; Atque ita in pari causa ponendi sunt Astrologi, quando sub prætensa quadam divinitatis specie, homines falsa prædicendo, scienter fallunt, & sub nomine fictæ alicujus regulæ ignorantibus imponunt, & tectè suam nequitiam exercent ; Cum enim etiam hi, falsa scienter prædicando, bona civium deminuant, & sic formale criminis falsi committant, ideo merito ad falsarios referri licebit, prout tradit Ungepauer ad *Decretal. tit. de Sortileg.* Idque eo magis procedet, si pretio fortasse corrupti, tale quid in odium unius, & gratiam alterius fecerint.

Th. XXXII.

*A super-  
stitione ca-  
vendum  
est, & de  
Astrolabio.*

Sedulo vero in hisce prædictionibus Genethliacis ab omni *superstitione* cavendum est, in quo facile homines simplices labuntur. Atque huc spectant, non tantum pia Patrum monita superius adducta ; Verum etiam recentiori ævo, omnes ejusmodi superstitosæ revelationes penitus prohibentur ; Ita de Jure Belgico refert Zypæus ; quod juxta decreta synodus Provincialis Mechlinensis, sancitum reperiatur ; Ut nemo prædictionibus & arcanorum revelationibus *superstitosus* se addicat, sub pœna perpetui exilii, in *Notit. Jur. Belgic. Lib. IX. sub rubr. de Malef. & Mathemat.* Atque huc referre licet modum inquirendi furta per inspectionem *Astrolabii*, id est situm stellarum & observationem motuum ipsarum ejus temporis, quo furtum commissum fuerit ; quod omnino & rectè damnatur juxta *cap. 2. X. de Sortileg.* Ubi Alexander III. Gradensi Patriarchæ rescribit : *Ipsè autem coram nobis viva voce proposuit, quod non ea intentione, quod invocaret demonium, ierat : sed*  
nt



ut inspectione Astrolabii furtum cujusdam Ecclesie posset recuperare. Unde licet hoc ex bono Zelo & ex simplicitate se fecisse proponat; id tamen gravissimum fuit, & non modicam maculam peccati inde contraxit. Ex quo textu patet, distinguendum esse inter eum, qui tale Astrolabium proponit, & vera inde deperquirendo furto prædicere conatur; & illum, qui talem saltim consulit, & dictis fidem adhibet. Prior quidem à magia non proxime abest, aut sæpe magicas artes sub illa specie externa occultat; Posterior certe à superstitione non erit immunis, cum gnarus esse debeat, ex tali positione nullam causam necessitantem oriri, neque illam generalem ejus temporis forte conjecturatam influentiam, in hoc statim vel illud individuum suspectum tanti operari, ut certum inde contra talem ferri possit judicium.

Th. XXXIII.

Aliquando hoc studium *Astrologie Judicarie* potest in *Heresis Astrologie Judicarie* *heresin* deflectere, eo nimirum casu, si quis Astris necessitatem aliquam tribuere velit, aut fatum aliquod *connexa.* *sidereum* effingere, ex quo absoluta humanarum actionum consequentia deduci debeat. Otto *Consil. Argentor. Vol. II. cons. 82. n. 35.* Diæta plane confirmat Grillandus de *Sertileg. p. 200. n. 16.* ubi sequenti modo scribit: *Quid dicendum sit de Astrologis, & Chiromanticis, qui secundum cursum astrorum & signa cœlestia prognosticant, an liceat hoc facere, vel sint puniendi, sicuti augures & aruspices, aut alio modo; Respondendum, aut hi futura prædicunt ex certa scientia, imponentes futuris contingentibus rebus necessitatem quandam, quam dicunt causari ex motu corporum cœlestium, quod isto modo sint heretici, & puniuntur ut heretici. Ratio, quia signa rerum non sunt cause rerum finales, imponentes necessitatem humanis rebus agendis aut homini, sed sunt signa quedam inclinativa sive indicativa rerum futura-*

rum



rum, secundum communiter accidentia, per regulas quasdam & naturas corporum caelestium, quae multoties fallunt, quibus non subicitur necessario natura humana, quin possit illa evitare, & uti liberi arbitrii potestate. Aut illa praedicunt demonstrativè, praesumptivè sive inclinativè, asserentes, quod ex motu corporum caelestium tale quid inclinativè demonstratur, sive figuratur in actibus hominum inferioribus, & hoc modo non est peccatum, ex quo nullam imponunt necessitatem, sed inclinationem quandam, quam quis libere evitare poterit, si velit uti prudentia, & sui liberi arbitrii potestate. Vocatur hoc ipsum Fatum Mathematicum, Astrologicum item Chaldaicum, quod latè deducit Vossius de Idolol. Gentil. Lib. II. Cap. 47. 48. Atque contra hoc veræ religionis fundamentum, jam antiquitus offendit Eaci Stoicæ error, quod frustra defendit Lipsius in Physiol. Stoicor. lib. I. Diff. II, asserens, Stoicos per illud ipsum providentiam divinam intellexisse, uti bene advertit, atque ex instituto demonstrat Thomasius de Exust. Mundi Stoica. Dissert. XIII. Addatur Buddeus de error. Stoicor. Dissert. III. §. 4. Hæc enim ipsa sententia, cum (1) tollat liberum in homine arbitrium, quod tamen unicum est omnis imputacionis moralis fundamentum, (2) injuriosa sit in divinam providentiam, à cujus regimine saltem & concursu actionum humanarum directorium dependet, (3) Deum faciat autorem mali, atque ita essentiaæ divinæ & summæ bonitati aliquid detrahat; Ideo non potest non talis in ipsa fidei Christianæ Fundamenta impingere, & in gravissimam devergere hæresin, quæ censura Ecclesiastica omnino est digna. Et hinc scite Augustinus de Civit. Dei Lib. V. cap. I. loquitur: Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quod ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellet; sententiam teneat & linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod postea dicturus est, cum ab illo quispiam quæsierit, quid dixerit fatum? Nam id homines quando audiunt, non

Handwritten marginal notes in a smaller script, possibly a library or archival stamp, partially legible.



intelligunt, nisi vim positionis syderum. Et ibid. cap. 9. ait :  
 Nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen, uti solet à loquenti-  
 bus poni, id est, in constitutione syderum, qua quisque conceptus  
 & natus est, quoniam res ipsa inaniter asseritur. Add. Clar.  
 D. Buddeus in Theol. Moral. Cap. I. Sect. IV. th. 23.

Th. XXXIV.

Prodigium  
 Astrologi  
 non facit  
 causam  
 mitigande  
 pena.

Cum igitur ex Astris nulla agendi necessitas descen-  
 dat; ideo ex hac ratione merito concludendum, quod  
 prodigium Astrologi non faciat causam defensionis, aut  
 mitioris vel pœnæ extraordinariæ infligendæ, licet is ex  
 Astrologica cautione prædixerit, hominem ad hoc vel il-  
 lud vitium, propter quod inquisitio est formata, naturâ  
 esse maxime proclivem. Cum enim ille vitiosus affectus  
 rationis imperio ab homine fuisset refrænandus, sanè à  
 dolo ac pœna non erit immunis iste, qui cupiditatibus suis  
 ita indulget, ut in externos actus prorumpant. Siqui-  
 dem affectus quidem in homine, qui maxime motibus  
 sidereis subjacent, ad forum Civile non pertinent, quate-  
 nus intra mentis suspiria consistunt. l. cogitationis 18. ff. de  
 pœn. Verum bene quatenus in externos actus prolabuntur,  
 & ita tranquillitatem civilem turbant, arg. l. 16. §. 8. ff. de  
 pœn. Atque huc imprimis pertinent, quæ habet Otto  
 Melander Lib. I. Jocosior. §. 669. ex Musculi Locis com-  
 munibus depromens, nempe: sunt, qui causam mali hujus rejici-  
 unt in nescio quam constellationem, sub qua sint nati in hunc mun-  
 dum, cujus vi fatante ac necessitante, ut loquuntur, ad furandum  
 sic impellantur, ut à furtis se cohibere nequeant. Et hanc impie-  
 tatem debemus Genethliacis, qui stellis hoc tribuunt, quod pro  
 sua qualitate & natura, reddant hominem sub ipsis natum, vel fu-  
 rem vel scortatorem vel latronem, vel miserum & calamitosum.  
 Hoc facit Venus, inquiunt, hoc Saturnus, hoc Mercurius, hoc  
 Mars &c. quasi de cælo sit inevitabilis causa peccandi: quod  
 quid

E



quid est aliud, quam Deum, cœli & omnium conditorem, autorem constituere omnis generis malorum, adeoque & culpabilem: & interea hominem carnem & sanguinem, vermem ac putredinem, veluti per se insontem, à culpa liberare? Sol, Luna & Stella ad hoc sunt in firmamento cœlesti, ut sint in signa & tempora, dies & annos, non ut ingenius ac fortunis nostris dominentur. Quæ mala admittimus, perversæ debemus nostra natura, cujus malitia ex originali nostra corruptione, in omnem carnem, inde à primo nostro parente, Adamo, propagatur; non astris, bonis Dei creaturis: Huc videlicet causas peccatorum nostrorum referamus, quas nostra ipsorum socordia alimus ac provehimus. Itaque coercendi sunt illi, qui, ubi propter furta sua corripuntur, in hæc voces erumpunt: Ich muß gestohlen haben / es ist mir angeböhren. Si loquuntur de propensione ad furandum, agnoscendum quidem est, esse illam ex nativitate carnis in cordibus nostris, quemadmodum & alia vitia; verum tanta non est efficacia, ut nolentem & invitum ad furandum cogat, sed coerceri potest, cum primis mediante gratia Dei: Deinde disciplina & castigatione competenti; hætenus saltem, ut manus cobibentur, ne res alienas subripiant: Deinde non est ex vi astrorum, sed quemadmodum diximus, ex corrupta nostra natura.

Th. XXXV.

**Judicium Astrologicum an faciat indicium ad inquisitionem vel torturam.** Ex dictis præterea facile constat, quod Judicium Astrologicum, licet accuratissime conceptum non faciat per se indicium aliquod ad inquisitionem vel torturam, nisi aliis indiciis concurrentibus, prout latius deducit Crusius de *Indio. Delictor. Part. I. cap. 25.* Et hinc per se, aliis indiciis destitutum, pro levi saltem habetur indicio, ut ne quidem ad territionem faciat. Carpzov, *Prax. Crimin. Quest. 120. n. 79.* Fortius certe argumentum ducitur à mala physiognomia Zanger de *quest. & Tort. Cap. II, n. 85.* Quod tamen



tamen iridem solum non sufficit, sed aliis debet admini-  
 culis juvari, nam ut ait Menochius *Lib. I. Presumpt. quest.*  
*89. n. 130.* Mala physiognomia arguit quidem in genere  
 malam hominis ac inquisiti naturam, non autem in  
 specie aliquod delictum. Addat. Bodinus *Lib. IV. de*  
*mag. Demon. cap. 4.* Et eleganter hoc insinuat Cicero in  
*orat. pro Q. Roscio Comædo,* ubi ait: Oro atque obsecro vos:  
 qui nostis veram inter se utriusque conferre figuram: qui non no-  
 stis, faciem utriusque considerate: nonne ipsum caput & supercilia  
 illa penitus abrasa olere malitiam & clamitare calliditatem viden-  
 tur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si  
 quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex  
 fronde fallaciis, mendaciisque constare totus videtur? Qui id-  
 circo capite & superciliis semper est rasus, ne ullum pilum viri  
 boni habere dicatur. Atque hinc quotidie quoque Praxi  
 criminalium rerum deprehendimus, quod in Registra-  
 turis judicialibus mala inquisiti Physiognomia soleat  
 annotari.

Th. XXXVI.

Certe natio infamis ex suo climate indicium facere in-  
 telligitur. Scitè hoc exprimit Plato *Dial. V. de leg.* qui ita  
 scribit: Nec illud nos fugiat magnam esse locorum, ad ferendum  
 meliores, peioresque homines, differentiam. Quippe alii varie-  
 tate ventorum & turbine difficiles & protervi sunt: Alii propter  
 aquas, alii propter cibos, qui ex terra non solum corporibus com-  
 modi aut incommodi oriuntur, verum animis quoque non minus.  
 Add. Plinius *Histor. Natural. Libr. II. cap. 78.* Jac. Siman-  
 cas *Instit. Catholic. tit. 50. de presumpt. n. 8. 9.* Unde est quod  
 Itali in crimine Sodomix; Galli in scortationibus &c.  
 habeantur suspecti, & sic à natione sæpe conjectura sumi-  
 tur Menoch. *de presumpt. Lib. I. Quest. 15. n. 9.* idemque  
 etiam advertit Ulpianus in *l. 31. §. 21. ff. de Edil. Edict.*  
 inquiens: qui mancipia vendunt, nationem cujusque in venditio-

Climata  
 la natio-  
 ni.

E a



ne pronunciare debent: Plerumque enim natio servi aut provocat aut deterret emitorem: Id circo interest nostra, scire nationem, presuntum etenim est, quosdam servos bonos esse, quia natione sunt non infamata, quosdam malos videri, quia ea natione sunt, qua magis infamis est: Quod si de natione ita pronunciatum non erit, iudicium emitore, omnibusque ad quos ea res pertinebit, dabitur, per quod emitore redhibet mancipium. Nec obstat l. fin. Cod. de tempor. restit. in integr. ubi dicitur, quod ex differentia locorum aliquod induci discrimen absurdum videatur. Facile enim patet, d. l. non de naturali locorum atque climatum coelestium differentia agere; Verum de beneficio restitutionis in integrum, & sic qualitate rerum civili, quæ sine locorum differentia indulgenda dicitur.

Th. XXXVII.

Competentia Fori in hisce causis.

Circa competentiam fori denique in his causis notant interpretes eas ad causas Ecclesiasticas & ita iudicium Consistoriale esse referendas, prout asserit Schrader de caus. fori. Eccles. tit. II. §. 19. Quam quidem sententiam admittimus, quatenus in superstitionem vel hæresin incidant, vel alio modo censura Ecclesiastica opus sit Lincke ad Decretal. tit. de Sortileg §. ult. quatenus vero ratione iniuriæ, damni dati, aut falsi agitur, eatenus Magistratus Secularis erit competens, & ideo has causas mixti quodammodo fori esse censemus, ob concurrentem Secularis & Ecclesiastici Judicis jurisdictionem, prout etiam notat Faber in Cod. Subaud. lib. IX. tit. 12. def. 2. n. 10. Zypæus in notit. Jur. Belg. Lib. IX. sub rubr. de Malef. & Mathemat.

Th. XXXVIII.

Atque hæc sunt, quæ de Thematum Genethliacorum jure in præsens conjicere placuit, in quibus, si quædam non satis ad omnium mentem accommodata deprehendan-



hendantur, cogitabit, inter tot scriptorum disceptationes vix fieri posse, ut quis talem possit tenere sententiam, quæ sit omnium opinionum conciliatrix; maxime cum ipsa artis hujus principia magis conjecturis quam demonstrationibus Mathematicis innitantur. Interim quædam delibasse sufficiat, quantum nimirum inde ad forum Actorum pertinere visum fuit, & ne metas Exercitationis Academicæ excedamus, reliqua, quæ addi potuissent, pleniori aliorum discussioni relinquimus.

F I N I S.





... cogitabit, inter tot scriptorum dilectio-  
nes vix nisi posse, ut quis eadem posse tenere sententi-  
... mediam, quae sit omnium opinionum concordantia;  
maxime cum ipsa ante hunc principis tractatus collectus  
... demonstrationibus Mathematicis illustratur. In-  
ter quos quidam de huiusmodi, quorum numerus inde  
ad hunc usque terminum videri potest, & ne metas Exer-  
citationis Academicae excedamus, reliqua, quae adhi-  
cenda sunt, pleniori tractatu discutiendi  
relinquimus.

F I W I 2



Diss. jur. An. 367, 2.







